

25 vero ordinem servat et quod primum est colit, etiamsi  
neglegat quod secundum est, per primi salutem salva-  
bitur et secundum. Quod ita esse etiam Dominus et  
Salvator noster docens dicebat : « Nolite timere eos qui  
corpus possunt occidere animam autem non possunt occi-  
30 dere, sed metuite magis eum qui potest animam et cor-  
pus perdere in Gehennam. » Putasne, agimus aliquid,  
putasne satisfacimus tibi, quod nullus animae languor  
quasi insanabilis debeat desperari, aut adhuc necesse est  
et alias nos adhibere rationes et pluribus haec eadem con-  
35 firmare ? Milies etenim si temetipsum desperes, nos de te  
nunquam desperabimus, neque hoc ipsi agemus in quo alios  
reprehendimus, quamvis non sit idem, cum ipse de se  
quis desperat, et cum ab alio desperatur. Qui enim alium  
desperat, habet veniam, qui vero semetipsum despera-  
40 verit nullam, quia ille non est dominus mentis alterius,  
hic vero sui propositi potestatem tenet. Nos ergo non des-  
peramus quod sit tibi reditus ad prioris vitae statum et  
ad illas quas in te novimus animi virtutes, sed addimus  
ad te adhuc etiam haec. Nineuitae audiebant prophetam  
45 ex definito dicentem et comminantem : « Adhuc tres dies  
et Nineue subvertetur ! » Sed ne sic quidem animis con-  
ciderunt. Et hoc cum nec satis confiderent posse exorare  
Deum et contra responsa sua venire, quae videbant non  
sub aliqua veniae conditione suspensa sed abrupta senten-